DE

Q. HORATIO FLACCO,

HOMINE AC POETA,

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

ET

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

PRIDIE KALENDAS JUNIAS, HORA LOCOQUE SOLITO,

PUBLICE DEFENDERE CONABITUR

ALBERTUS T. LYSANDER, PH. M.

PARS PRIMA.

RESPONDENTIS MUNERE FUNGETUR

PETRUS HAMMAR,

VERMELANDUS.

LONDINII GOTHORUM,
TYPIS BERLINGIANIS,
MDCCCXLVIII.

——————— Res antiquae laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes.

Virgilius (Georg. ii, 174—175.)

Disputationum series atque ordo.

Prooemium.

Alexandrum, regem Macedonum, eum, qui Magnus appellatus est, cum de eo quæreret aliquis, cur nullum alium poetam nisi Homerum in manus sumeret; Alexandrum igitur respondisse commemorant: quia is solus poeta regius sibi videretur. Magnifica vero vox et magno rege digna, quæ declarat, illum in recto studio atque humanitate versatum. Quem autem in Græcis poetis principatum numquam non obtinebat Homerus, idem est datus in Latinis Horatio. Hicce enim a QUINTILIANO (Inst. Orat. IX, 1, 96) inde poetarum Romanorum princeps ducebatur, quin etiam qui e lyricis solus, cujus carmina legerentur esset dignus. Quo factum est, ut innumeræ fere exstiterint Horatianorum operum editiones, innumera item scholia, commentarii, recensiones; quorum omnium brevis tantummodo enumeratio, ut fit in *Bibliotheca Horatiana* (1), non nisi libro paullo graviore contineri possit. Hac communi fere omnium in unum scriptorem adhibita contentione facile quis crediderit, abditos quosque Horatianæ poesis recessus mirabiliter esse illustratos. Sed poeta noster non tam illustratus est, quam illustrationibus sæpe obscuratus. Quam in reprehensionem si incurrere nolumus (nolle autem debemus), omnia certe, in quibus priores philologi erraverint, nobis sunt evitanda, contraque omnia, in quibus excelluerint, imitanda. Itaque quomodo Horatius ad nostra usque tempora sit lectus, operae pretium erit obiter narrare. Cujus tamen rei arduae et intra angustos prooemii cancellos coarctandae sufficiet lineas duxisse extremas. §. I.

Scholiastae igitur ad Horatium interpretandum aggressi sunt primi. Illi, quam sibi studiis litterarum asciverant, haud contemnenda utebantur doctrina, eandemque in poetam illustrandum conferebant. Sed non sufficit omnes lectitasse poetas. Acce-

(1) **Bibliotheca Horatiana s. Syllabus editionum Horatii, interpretationum, versionum ab a. 1470—1770. Lipsiae, 1775.**

dat oportet, quod haud scio an omnium sit difficillimum, studium poesis interius, ut insinues te prorsus in ipsam antiqui aevi poetandi rationem. Accedat oportet acerrimus quidam pulchri sensus, quo qui careat nec criticus nec idoneus antiquitatis interpres appellandus. Poetam igitur e poesis ratione necesse est illustrari. Cujus quidem rei parum memores fuisse recentiores video philologos, Scholiastas etiam minus. Hi quantum a germana poesis scientia alieni fuerint, vix dici quidem potest. Vehementer his placebat ubivis deprehendere nescio quid ambigue ac dissimulate dictum; poesis autem Horatianae suavitatem ne primoribus quidem labris degustabant. Qui vero nihil aliud quam dilogias, quae dicuntur, satiras Horatianas esse censeat, idem carmina quæque elegantissima allegoriis ineptissimis necesse est illustret. Utriusque generis exempla praesto sunt.

C. Aemilio, Julio Modesto et Q. Terentio Scauro praetermissis, Scholiastarum Horatii antiquissimus et idem clarissimus est *Helenius Acron*, cujus in commentario hoc ad Carm. i, 14. legitur scholion (2):

Ad navem Bruti.

Fluctus bellum civile vocavit. Portum pacem. Nudum latus nudatum ex amissione exercitum. Grave bellum intelligi voluit per ventum tempestuosum. Ac sine funibus: aut sine administrationibus intelligendum aut sine impensis et pecunia. Non tibi sunt integra lintea i. integer cursus sine exercitu vel auxiliis.

Haec Acron. Quo scholio sane nil est perversius. Sed num aliter is poeticas percipit descriptiones, qui semper allegorias suas hallucinetur? Num aliter is veteres poetas interpretatur, qui verbis vel minutissimis historicam subjiciat vim?

Eodem interpretandi modo usus est *Pomponius Porphyrio*, qui fuit Acronis fere aequalis. Etenim ad Sat. i, 2, 25. haec annotavit: Sub Malthini nomine quidam Maecenatem suspicantur significari (3). Nec defuerunt postea, qui, quamvis meliora edocti, suspicionem Porphyrionis sint amplexati. Quo in genere excelluit *Guilielmus Baxterus* et quotquot huic fuerunt simillimi, qui, adhibitis dilogiis frequentissimis, id effecerunt, ut incertae illae Scholiastarum suspiciones pro certis haberi coeptae sint argumentis. Quantum vero hujusmodi interpretatio omni antiquitatis repugnet rationi,

---

(2) Vid. Horatii Opera cum comm. *Acronis* p. L. de Strazarolis recognitis, præcedente *Porphyrionis* in Horatii opera commentario per Regium castigato. 1481.

(3) Sententiam Porphyrionis probavit Acron, gravioribus tantum utens verbis. Mæcenatem, ait, tangit: varicosus enim fuit, delicatior et solutus.

docuit Madvigius, V. Cl. (in Epimetro de Horatii sat. sec. libr. I v. 25), qui probatissimis, ut solet, verbis inscitiam eorum castigavit, qui statuunt, aliquid in satira Romana fictis agi nominibus posse.

Trium autem Scholiastarum, quos nominavi, priorum, Aemilii, Modesti, Scauri scripta penitus interierunt, nisi aliquae (ut *Fabricius* est suspicatus) annotationes sint commentariis Helenianis admixtae. Qui vero *de personis Horatianis* scripserint, quorum mentionem bis facit Porphyrio (ad Sat. i, 3.), ne nomine quidem cognovimus; nisi eorum in numero Acron habendus sit (1). Commentator denique, quem vocant *Cruquianum,* non rite dicendus est Scholiastes. Scholia enim, quae ejus sub nomine circumferuntur, *Cruquius,* ut narrat *Estraeus,* ex Blandiniis aliisque compluribus codicibus descripsit.

Nec longe Scholiastarum post tempora ea in Europam immigravit barbaries, quam medii aevi nomine vocare consuevimus. Tum vero inter bella continua nullus fere locus datus est studiis. Caligine et tenebris omnia perturbata. Felici autem casu evenit, ut illa clarissima antiquae artis ac doctrinae monumenta non sint deperdita omnino. In monasteria, tamquam in asyla quaedam, litterae confugerunt. Describebant monachi libros Horatianos eadem, si non pietate, certe industria et elegantia, qua litteras sanctas. Quamvis autem essent, qui Horatium suum et studiosissime legerent et amarent; tamen ineptis annotationibus non magis quam versibus subditiciis Noster medio aevo auctus est. Immo apud Veteres ipsos de codicum vitiis querelae interdum leguntur. De libris Latinis, scribit ad Quintum fratrem Cicero (iii, 5, 5.), quo me vertam nescio: ita mendose et scribuntur et veneunt. — Librum autem, quem Sulla de rebus suis imperfectum reliquerat, Epicadus, teste Suetonio (de illustr. Gramm. cap. 12.), supplevit. Non aliter mendis atque interpolationibus Horatius laborat. Fuerunt etiam istis temporibus, qui carmina Horatiana emendare conati sint. In quibus censeo et alios et *Agorium Mavortium* et nescio quem *Felicem magistrum.* Quod autem in nonnullis antiquioribus exemplis ita litteris majusculis scriptum fertur: Vettius Agorius Basilius Mavortius v. c. et inl. Excom. Dom. Excons. Ord. legi et ut potui emendavi. Conferente mihi magistro felice oratore urbis Romae; hoc ad emendationem non tam totius libri, quam singulorum false descriptorum vocabulorum pertinere videtur.

---

(1) Ut nuperrime ex Porphyrione collegit *Estraeus,* V. Cl. Vid. *Horatiana Prosopographeia.* Amstelodami, 1846. pag. 2.

Hominis igitur vere critici est judicare, quid *γνήσιον*, quid *ὑποβολιμαῖον* sit. Neque dignius praeclariusve quicquam statuo, in quo philologi elaborent, quam fraudes et corruptelas librariorum deprehendere, quae spuria et supposita sint a veris discernere, aegris ac depravatis vel ex codicum vestigiis vel ex suo ingenio pristinam formam restituere. At vero conjicientibus est scopulus, multorum naufragiis infamis, in quem ne impingamur nobis est cavendum: illud dico, quod in hominibus suae aetatis Quintilianus jam reprehendit. Quaedam, inquit (ix. 4, 39.), in veteribus libris reperta mutare imperiti solent, et dum librariorum insectari volunt inscitiam, suam confitentur.

Arte tandem typographica inventa, renata sunt studia litterarum. Tum vero docti homines ardore incredibili scrinia veterum reserare coeperunt atque in lucem vitamque protrahere; itemque codicum quemcunque primum arripuerant propere edere: scriptores demendo addendove corrigere. Prodiit infinitus disputationum Horatianarum numerus ([5]). Arte vero critica nondum nata, eruditissimi illorum temporum homines praestantissima cum futilissimis miscebant, omnia eodem loco pretioque habentes. Indigestam explicationis et annotationis materiam sine judicio undique colligebant: Horatium inutili molestoque apparatu obruebant. Ex hac caligine tandem erat emergendum. Exemplum Scaligeri Heinsiique prodiderant, quos criticorum maximus Bentlejus est sequutus.

Is enim fuit Richardus Bentlejus, qui, eruditione illa diffusa priorum philologorum justissime spreta, primus ipsam lectionem diligentius examinaverit. Haud tamen veteres interpretes est aversatus, ut fuerunt qui dicerent. Legit priores omnes studiosissime: immo optimis quibusque usus est. Sed, qui ante eum fuissent interpretes clarissimi, eos omnes philologiae laude superare studebat. Illos, dicere solebat, utilissimam sane operam navasse. Quam, nisi ab illis occupata fuisset, jam nunc necessario esse de integro impendendam. Nunc vero illam studiorum materiam partis infimae et initiorum apparatusque locum obtinere. Haec Bentlejus; qui sane, quantum philologiae prodesset, ipse videbat. Erant namque in viro eruditissimo non ma-

---

([5]) Plerorumque interpretum opera, qui ante a. 1544 inclaruerunt, hoc uno habes absoluta volumine: Q. Horatii Flacci omnia poemata, interpretibus Acrone, Porphirione, Jano Parrhasito (*lege*: Parrhasio), Antonio Mancinello, necnon Jodoco Badio Ascensio, viris eruditissimis. Scholiisque D. Erasmi Roterodami, Angeli Politiani, M. Antonii Sabellici, Ludovici Caelii Rodigini, Baptistae Pii, Petri Criniti, Aldi Manutii, Matthaei Bonfinis, et Jacobi Bononiensis nuper adjunctis. *Venetiis*, 1544.

gis ingenii summum acumen et immensa doctrina, quam divinandi quaedam peritia et *μαντική*, in judicando cernenda; unde etiam ipsa Critica nomen habet. Haec igitur judicandi facultas plane dominatur in scriptis Bentleji, quippe qui primus *κρίσει*, quam dicunt, de rebus usus est philologicis. Quo non utilius tantum, sed etiam sublimius esse coepit philologiae propositum. — At vero dedit vir *κριτικώτατος* ansam ad reprehendendum eo maxime, quod subsidia codicum nimis valde contemsit et plura subinde ex meris conjecturis quam ex criticis exhibuit rationibus. Id quod postero tempore multum valuit ad auctoritatem ejus imminuendam.

Eorum autem, qui libros Horatianos in linguas converterint vulgares, mentionem non faciam, praeter unius Wielandii. Is, superioris saeculi memoria, epistolas satirasque Horatianas in Germanum convertit: vertitque sane in succum et sanguinem. Nec quisquam facile recentiorum aut interius percepit poesin Horatianam, aut interpretatus est disertius. Sed ne in interpretando quidem a fingendo se abstinuit scriptor Oberonis. Cujus quidem rei unum, instar omnium, exemplum proponere in animo est. Pessime igitur narravit Wielandius de Orbilio Pupillo, doctore Horatii. Hunc militem fuisse exauctoratum: praefuisse ludo litterario non nisi necessitate coactum; sed nullius eum rei scientiam praeter legendi scribendique tenuisse. Haec atque alia eodem pertinentia Wielandius de Orbilio hallucinatus est. Longe enim aliter ille Orbilius a Suetonio (de illustr. grammat. cap. 9.) inducitur. Quae omnia non in eam partem dicta velim, ut de laudibus Wielandii detraham, sed ut, quod ei fuerit propositum, manifestius ostendam. Fabulis igitur fictis quidem, sed ut antiquitatem plane referrent, Wielandius viam ad studium antiquitatis aequalibus aperire studebat. Neque aliud sibi volunt libri ejus, qui Agathodaemon et Agathon inscribuntur. Caveamus vero, ne illud Wielandianum "ich stelle mir vor" ad eum finem dictum esse putemus, ut daret historicae veritatis signum (6). Quod hi fere solent opinari, qui iidem Scholiastarum in verba et suspiciones levissimas jurant.

Ea vero opinio vulgo increbuisse videtur, saeculo in primis superiori, Horatium poetarum Romanorum esse dignissimum, cujus libros studiosa juventus sedulis mani-

---

(6) Wielandii forsitan ductus auctoritate *Graefenhanius*, V. Cl., de eodem Orbilio ita scripsit: "Orbil giebt ein Beispiel ab, dass das Amt eines Lehrers eben nicht das ehrenvollste war, indem er als ausgedienter Schreiber und Soldat bei seiner Rückkehr nach Rom im fünfzigsten Lebensjahre eine Schule errichtete, um sein Leben zu fristen, und in der er mit mehr Renommée als Erfolg lehrte." Vid. *Gesch. d. klass. Philol.* Bonn, 1843–1846. ii, 234.

bus versarent. Neminem scilicet poetarum diligentius vel docere virtutem vel commendare: neminem vitia acrius insectari vel doctrinam de moribus melius tradere. Quam ob rem pueros nulla re certius aut facilius, quam libris Horatianis legendis, bonos mores acquirere posse et conservare. Itaque aegre tulerunt docti homines, Horatium obscenitatis accusari ([7]): accidere enim ita, ut fides ejus et auctoritas derogaretur; quo certe majus detrimentum vix capere scholam posse. Accedit, ut Lessingius (vol. iv, pag. 7. Ed. Lachm.) professus sit, se moleste pati, Horatium aliqua aspergi infamia. Quo circa de praestantia virtutis vel poesis Horatii dubitare habebatur fere nefas. Namque suspicari homines videbantur fore, ut quidam philologi exsisterent, qui aliquanto gravioribus argumentis Horatium aggrederentur. Id quod usu memoria nostra venit.

Codicum magis quam ipsius poetae fidem infirmare conatus est Petrus Hofmannus Peerlkampius, Professor Leidensis ([8]). Is carmina Horatii a. mdcccxxxiv recensuit: quo in opere facile cuipiam videatur aliquid praestitisse quod prope Bentlejanum sit. Etenim vir criticus deprehendit multa ab Horatio putide dicta multosque praeterea locos, qui luxuriantem magis quam castigatam redolerent poesin. Hujusmodi versus annotavit et in libro, supra laudato, typis inclinatis curavit excudendos. Ea nempe omnia non esse Horatiana judicavit, sed themata quaedam grammatica et recentiorum poetarum lucubrationes. Agnovit enim ille Horatiomastix Horatium non nisi in illis ingenii monumentis, quae tam apta et rotunda fuerint, ut nihil demere potuerit. Quo factum est, ut quinta pars carminum Horatii deleta sit.

Paucis vero abhinc annis Horatium et poetam et hominem graviter vituperavit Guilielmus Sigmundus Teuffelius, auctor clarissimus librorum qui inscribuntur "de Horatii amoribus (in Jahnii Annal. philol.)" et "Charakteristik des Horaz." Statuit enim,

---

([7]) Prodierunt etiam in usum scholarum purgatae, quae dicuntur, editiones. Quo in genere sunt: Horatii carmina ab omni obscoenitate expurgata. *Turonibus*, 1688.

([8]) Auctoritate praesertim ductus *Jeremiae Marklandi* et *Francisci Guieti*, quorum ille ita scripsit: "In Horatio, post omnia, quae in eum scripta vidi, innumera sunt, quae non intelligo. In toto opere vix una est Ode, Sermo vel Epistola, in quibus hoc non sentio dum lego. Neque adeo miror; cum haec obscuritas a posteris invecta fuerit." etc. Jam vero ante Peerlkampium eosdem fere, quos ille, versus *Guietus* deleverat. Hic autem nihil edidit. Per margines exemplorum annotationes suas dispergere solebat.

Horatium fuisse libidinosum et nullo ingenio poetico praeditum (9). Omnia igitur quae videbantur esse certissima, nunc in dubitationem vocata sunt. Neque vero, ut tempore superiore, illud est in controversia, quidnam carminum Horatii sit optimum, sed quid sit Horatianum: non modo de personis Horatianis agitur, sed de ipsa persona Horatii. Difficiles vero res et sane implicatae! At ex hisce explicabit se in proximis disputationibus totum, ut speramus, Horatii ingenium.

Tantum abest, ut hoc in prooemio differentiam demonstremus, quae inter nos et priores scriptores intercedit, ut penes lectorem judicium ejus rei sit totum. Tantum id, de quo supra monuimus, hoc loco libet altius repetere. Ad studium cujusvis antiquioris poetae accedat necesse est ipsius antiquitatis cognitio, quae non modo interpretatione grammatica comparetur, sed etiam studio historiae et philosophiae. Haec autem scientia recte est appellata omnium doctrinarum procreatrix. Versatur vero philosophia pulchri, sive quam nunc vocant aestheticen, vel maxime in scriptis veterum explorandis. Enim vero ex ipsa antiquitatis indole antiqua illa illustrat. Itaque nemo sine eo instrumento ad philologiam potest satis ornatus accedere. Quod ni philologus philosophari sciat, videbis eum, grammaticorum instar, in voculis et syllabis tantum haerere. Nec vero is existimandus est philologus, qui, interpretatione plane spreta, id tantum agit, ut novi aliquid afferat, ultro exquirens difficultates, quibus tollendis de his litteris melius etiam mereatur. Hinc lites hominum doctorum et controversiae de levissimis rebus gravissimae: hinc tam multa de villa Horatii, de amoribus ac deliciis Horatii volumina. Quae res nec pertinent ad personam poetae rite illustrandam, nec valent ad immortalia Horatii opera interpretanda integritatemque iis restituendam. Quae cum ita sint, via, ni fallor, patet, per quam, duce vera philologia, nobis procedendum sit. Id enim nos oportet efficere, ut non magis e ratione illorum temporum, quibus vixerit, quam e scriptis suis cognoscatur poeta. §. II.

---

(9) Hanc, verbi gratia, de Horatio poeta fert sententiam: "Inneren Beruf für irgend einen Zweig fühlte er nicht in sich. Er besann sich, welches Feld der Literatur am dankbarsten wäre, welches noch am wenigsten bebauet und daher einem Bearbeiter am meisten Lohn verheisse. Er sah sich um in der Literaturgeschichte und fand, dass die Satire noch eines weiten Ausbaus fähig sei." Charakt. des Horaz. Leipzig, 1842. Pag. 40.

Ab historicis igitur initiis proficiscentes in sacra procedamus poetae penetralia. Quod cum maxime e monumentis suis apparet ingenium poeticum et, ut ita dicam, se manifestat, locos Horatianos non citabimus solum, sed unum etiam Horatianorum carminum in fine dissertationis interpretabimur; ut *formam,* quae vocatur, poesis Horatianae etiam perspiciamus. Omnino autem ex illo Horatii quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.

De ingenio ac moribus Q. Horatii Flacci.

Id igitur certe quodam jure Horatio tribuendum esse videtur quod, si quis alius scriptor, is Romanam plane refert indolem: idque non in vita ac moribus solum; sed respondet huic indoli etiam ingenium ejus ac poesis. Si vero poetis id maxime datur laudi, quod in omnibus carminibus ingenium atque indolem populi sui sequantur et exprimant, ii sane felicissimi sunt dicendi, quibus a natura datum est, ut potentissimi cujusque et cultissimi populi veluti oratores essent atque interpretes. Quae omnia Horatio acciderunt secundisssima. Vixit enim in fortissimo maximoque omnis temporis ac memoriae populo, nec maximas quasque non et vidit res, et gessit et versibus est persequutus. Quod si statuimus, Horatium eo fuisse ingenio imbutum, ut indolis ac naturae Romanae veluti τύπον referret, habendus certe erit poetarum aequalium princeps ac coryphaeus, quem eundem homines solent vocare sui temporis saeculique poetam. Quid enim populo Romano majus nominari potest vel augustius? Quam ob rem paullo fusius de temporibus, quibus vixit poeta, nobis erit agendum. Namqne e ratione illorum temporum optimos quosque cives licet judicare; in his vero Horatium, qui, unus instar omnium, quæ Romana sunt repræsentat. Attendas vero, quaeso, praesertim eam rei publicae commutationem, quae poetae nostri exstitit memoria. Nulla enim res magis umquam valuit ad animos civium Romanorum immutandos. §. III.

Noli vero existimare, temere vel casu quodam ita accidisse, ut res Romana tempore Horatii ex libertate in regnum sit commutata. Neque quicquam casu factum esse potest, quod in se omnes numeros necessitatis habet ([10]). Nam ita fert ratio ipsa rerum humanarum, ut a regno ad libertatem progrediatur, a libera vero civitate rursus in regnum revocetur. Quod iter ut et patrum memoria Gallicae fuit rei et gentium multarum, ita in primis ac necessario Romanae fuit civitatis, quippe quae ante ceteras omnes imperio ac superbia militari nitebatur. Neque vero civium liberorum personis Romae, velut Athenis, imperium umquam continebatur. Etenim communi omnium saluti, non civium singulorum res publica consulebat. Quod non ita dicam quasi negem, Romanos eatenus fuisse liberos, qua vitam spectas domesti-

---

([10]) Vid. *Hegelium* hac de re disputantem in libro, qui inscribitur: Philosophie der Geschichte.

cam. Nam praeter ceteras gentes jura privata adepti erant quam plurima. Sed, qua in rebus domesticis utebantur libertate, ea in publicis omnibus carebant. Pro imperio Romano ad fines orbis usque perducendo se suaque omnia devovere religionis quodam vinculo erant obstricti. Quo factum est, ut a publicis non magis alienae essent res privatae, quam ab his publicae. Qua inter civitatem et homines privatos repugnantia eo adductam esse rem publicam, ut in potestatem unius cederet tyranni, quis non videt? Inde colligitur, neque ambitione hominum quorundam, nec, ut perhibent, moribus civium depravatis, sed ipsa intercedente necessitate esse factum, ut Roma amiserit libertatem.

Quaerat vero quis, quibus animis hanc tam magnam commutationem Romani sustinuerint. Verso enim civitatis statu, invalidis legibus, infirmata senatus auctoritate, circumscripto populi arbitrio, exuta aequalitate, amissa denique libertate, quid tandem reliqui erat Romanis, quod eos in hac vita teneret? Nihil sane, nisi alius cujusdam libertatis spes. — Duae autem viae fuerunt, quibus ad libertatem licuit tendere. Primum enim ex voluptatibus quaeri potuit libertas, si ipsum illud, virtutis vinculo esse liberatum libertas omnino, non potius servitium turpissimum sit dicendum. Quam ob rem, si alio quocunque tandem, hoc certe tempore Romani luxuria ac deliciis diffluebant. Ad rem vero augendam alii aliis utebantur artificiis. Hinc cum gliscens in principem adulatio, tum illa heredipetarum turba, de qua Noster in Sat. ii, 5. commemorat. Divitiae cupiditatibus inserviebant. Libertas abfuit, *licentia indomita* (Carm. iii, 24, 28-29) est consequuta. Quam enim ex voluptatibus libertatem sibi comparare potuerunt, non erat ejusmodi, quae verecundia et legibus temperetur, sed quae virtuti adeo repugnet, ut bestiis viliorem hominem efficiat.

Alterum vero libertatis genus voluptatibus sensuum non continebatur, sed in ipsis hominum animis liberandis erat positum. Servit enim, credo, is maxime, qui in summa versetur veri pulchrique ignorantia. Itaque nil praeclarius fieri potest, quam ut animi his vinculis liberentur: quod prae ceteris omnibus potissimum philosophia et poesis solent efficere. Quam ob rem nullo fere tempore apud Romanos philosophiae studium magis vigebat: nulla vero aetas, quam Augusta, et plures tulit poetas et meliores. At vero, statu rei publicae mutato, hominum etiam commutata est sentiendi cogitandique ratio. Antiquis illis temporibus naturam ducem sequebantur, suis quisque rebus contenti. Nunc autem intercessit internae vitae quaedam cum externa repugnantia. Homines igitur ingeniosissimi, quasi ex aliqua turbida

tempestate in portum, sic ex seditiosa ac tumultuosa vita in studium philosophiae ac poesis quietum sese tradiderunt. Hoc autem philosophiae coepit esse propositum, ut omnia, quae hac in rerum universitate cernuntur, hominis personae subjecta esse comprobaret; unde et Stoici et Epicurei, alii aliter, sunt profecti. Poetae vero eum virum potissimum celebrabant, qui, contemtis iis omnibus quae homines vulgo solent captare, indolentiam quandam animi tantum consequeretur. Quo factum est, ut illud, quod sibi maxime in hominibus vituperandis placeat, quodque satiram vocent, poesis genus exstiterit ([11]). Quae omnia, ut in Horatium possunt conferri, ita maxime valent ad mores ejus rite illustrandos. Nam neque cum iis sentimus, qui Horatium philosophum judicant ([12]); et ab iis, qui putant vitam ejus omnem libidinibus contineri ([13]), magnopere dissentimus. Quare statuimus, Horatium et philosophiae et voluptati quodam modo fuisse addictum. In quibus Romanum se praebuit plane. Ceterorum autem poetarum Virgilius in memoriam veterum temporum confugit, Ovidius in fabulis totus fuit vel amorem solum cogitavit. Horatius non modo amorem et philosophiam versibus celebravit; sed qua re ceteris populis praestabant Romani, ea in re Romanis ipsis antecelluit, suos conficiens libros satirarum.

Gerebat igitur Horatius noster ex philosophia cupiditatibusque animum temperatum ac veluti conflatum. Quod cum hic quaerere licet, utrum idem semper fuerit Horatii ingenium, an excultum magis mutatumve aliquando sit, id nos perducet ad ea tempora consideranda, quibus opera Horatii scripta editaque esse videantur. Nam si cognitum perspicuumque tempus haberemus, quo singula carmina conscripta essent atque edita, latissima sane nobis via pateret ad dijudicandum Horatiani ingenii, ut ita dicam, ipsum progressum. Quare recenti etiam memoria novae de fastis Horatianis quaestiones institutae sunt a sex doctissimis viris: Grotefendo, Kirchnero, Frankio, Strodtmanno, Teuffelio et Webero. Quibus septimum Bentlejum propter auctoritatem, quam plerique ei tribuere solent, volumus adjungere, quamvis ejus sententia, Horatium §. IV.

---

(11) Praeclare *Rugeus*: "Die poetische Satire ist eine *rein ideelle Befreiung* von den Verkehrtheiten, die der Mensch vor sich hat." Vid. *Arnold Ruge's* sämmtl. Werke. Mannheim, 1847. iii, 64.

(12) In his *Oswaldius.*

(13) Vid. Les Amours d'Horace. Cologne, 1728.

alio tempore carmina tantummodo, alio nihil nisi satiras scripsisse, jam pridem explosa sit. Quibus in quaestionibus summa ingenia philologorum nequicquam consumpta intelligimus. Recte igitur negat Milmanus, chronologiam Horatianam ullo pacto posse teneri ([14]). Quae enim res argumentis historicis nequeunt probari eas sicut certissimas ex arbitrio constituere, magnae amentiae videtur. Quod si septem illos chronologos cum scriptis veterum conferamus, id probatissimum accipiemus, Horatium epodos satirasque primum scripsisse, ultima vero opera ejus esse epistolas et librum carminum quartum. Haec inter veterrima opera et recentissima libros carminum tres priores conscripsit. Praeterea quatuor haec inter omnes constant chronologos Horatianos. Ac primum quidem, nullum ante annum DCCXII U. C. poema condidisse Horatium, quod quidem ad nos pervenerit. Deinde nullum epodum satiramve post annum DCCXXVII compositum esse. Tum vero nullam epistolam vel oden libri quarti ante annum DCCXXVII esse scriptam. Denique Horatium ad annum usque vitae extremum poemata fecisse. Hunc igitur scribamus conspectum temporum, quibus Horatius opera jam memorata absolvit:

Satirae Epodique inter annum DCCXII et annum DCCXXVII ponenda videntur.

Carminum liber quartus et Epistolae intra annos DCCXXVII et DCCXLVI sunt confecta.

De tempore autem, quo tres priores carminum libros conscripserit, sententiae discrepant. Sed jure negarunt viri docti, horum carminum ullum neque ante annum DCCXIV nec post annum DCCXXXVI esse compositum. Iisdem fere temporibus, quibus scripta sunt poemata Horatii, publici etiam juris sunt facta.

§. V. Quibus probatis tres possumus in vita Horatii aetates ac velut stadia distinguere, juvenilem dico aetatem, mediam, senilem. Plerosque scripsit juvenis sermones epodosque, qui omnes satirici sunt argumenti; id quod dolorem ob civitatem oppressam et indignationem contra omnes res humanas satis ostendere videtur. Quod si unum haberemus carmen ante pugnam Philippensem factum, magnus ex eo libertatis

---

([14]) The discrepancies, inquit, among these ingenious writers may satisfy every judicious reader that they have attempted an impossibility; that there are no internal grounds, either historical or aesthetic, which can, without the most fanciful and arbitrary proofs, determine the period in the life of Horace to which belong many of his poems. Vid. dissert. quae inscribitur Horatius, in *Dictionary of Greek and Rom. Biography and Mythology, edited by W. Smith.* London, 1844—1848.

amor, quo erat Horatius imbutus, enitesceret, magnum etiam regni odium appareret. Nunc vero ne in satiris quidem nimis est acerbus. Neque ista aetate videtur praecepti sui immemor:

> **Aequam memento rebus in arduis**
> **Servare mentem!**
>
> **(Carm. ii, 3, 1—2.)**

Vir autem factus tres priores carminum libros confecit. Tunc sua sorte plane contentus, eo magis voluptatibus perfruitur, quod *sibi res non se rebus subjungere* conatur. Senex tandem carminum librum quartum et epistolarum maximam partem composuit. Tranquilliorem et jejuniorem, ut solet, ei tribuit animum hic aetatis flexus. Neque tamen a lascivia juvenili est sanatus. Quod et ex multis aliis licet intelligi et ex Epist. i, 6. quam ut virtutum commendatricem haberemus, nequaquam a nobis impetrare potuimus ([15]). Huic enim interpretationi commentatorum repugnant ipsa Horatii verba:

> **Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,**
> **Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.**
>
> **(vs. 15—16.)**

Immo totus epistolae contextus repugnat. Nam quasi perfunctorie tractavit virtutem, mediam inter vitia positam. Virtutum vitiorumque genus habet promiscuum; utrumque enim ei sectandum esse videtur, modo illa *ἀθαυμαστία* adhibeatur, quam verbis *nil admirari* commendat. Quae verba nihil aliud sibi volunt, quam ab omnibus et virtutum et vitiorum vinculis esse liberum. — Eam scilicet artem vivendi Cyrenaici, quos Horatius potissimum est sequutus, sese tradere sunt professi. Sapientem solum, dicere solebant, voluptatibus recte frui posse; eundem vero, si sibi placuerit, a voluptatibus posse abstinere. Hunc enim ex arbitrio quodam prudentissimo videre, quo tempore aut virtus aut voluptas esset eligenda. Nulli igitur animi motui totum se dedere sapientem, sed vel carissima posse relinquere. Quod quomodo fiat, Horatius praecepto suo nihil admirandi docuit.

Itaque, ut totam hominis personam paucis deformemus vocabulis vel *σκιαγραφίαν*, quam vocant, scribamus, Horatius nec penitus libidini deditus, nec totus sapiens erat; sed erat ei animus ex utraque re temperatus. Et voluptati et sapientiae inserviebat. Neque patiebatur se admirari quicquam, nec ulla re graviter commoveri.

([15]) Haud sine causa *nugatricem de beatitudine* vocavit eam Julius Cæsar Scaliger.

Ideoque sub suam potestatem omnes res subjunctas esse opinabatur. (Cfr. Ep. i, 1, 19). Huic animo neque aetatum vicissitudines nec quilibet temporum casus mutationem aliquanto majorem attulerunt.

Diu multumque quaesitum est, num Horatius vir bonus, integer atque bene moratus fuerit. Qua in quaestione recentiores sententiis, ex ethica hodierna sumptis, usi sunt: tamquam Horatius nostra ætate vixisset. At vero illud nec Horatio nec ulli convenit antiquitati, quæ distat totum, quod ajunt, coelum a nostri sæculi moribus. Enim vero morum conditio non potuit in civitate Romana esse optima. Nullis enim bonae voluntatis ac fidei vinculis imperator sibi cives obstrinxerat. Nec ab omnibus aequalium vitiis, quae castigavit, fuit satirarum scriptor immunis ipse. Quod si eam respicimus morum depravationem, quae illis praesertim temporibus percrebuerat, Horatium sane habebimus magnum. Tantum abest, ut exemplum virtutis se proponat, ut sua vitia liberrime profiteatur (Carm. iv, 1, 29 sqq. Epod. 11, 3-4. Sat. i, 2, 117—119.). Neque prudenti arte vivendi, in qua ipse mirifice sibi placuit, nullo non tempore vixit contentus. Nonnumquam inexplicabili quadam mentis aegritudine laborat, velut Epist. i, 8. Quid hac tristitia laudabilius, qua sibi displicuit idem Horatius, qui sibi placere summum bonum statuerit? Nonne probat interiorem virtutis cognitionem, quam Noster, si non consequi, obscure tamen sentire potuerit atque animo concipere?

Numquam Horatius, aequalium instar, libidinibus fluxit immodicis. Brevem tantummodo stultitiam miscuit consiliis (Carm. iv, 12, 27). Cum effatus esset:

Dulce est desipere,

caute adjecit verba *in loco* (ibid. vs. 28). Ut in bibendo aquam vino temperavit, ita in rebus secundis servavit mentem ab insolenti temperatam laetitia (Carm. ii, 3.).

§. VI. Omnis de amoribus Horatii quaestio ad rationem antiquitatis est revocanda. Quod si faciamus, non in Horatio quaeremus amorem, qui sublimibus contineatur ac coelestibus sensibus. Feminae apud gentes antiquas non liberae habebantur: earumque ingenia parum erant exculta. Non multae quidem fuerunt Aspasiae. Tantum igitur abfuit, ut maritus uxori valde inserviret, ut eam fere loco servae haberet. Amicum magis quam feminam Romanus potuit partem sui agnoscere, ut Horatius Virgilium suum appellat *suae animae dimidium* (Carm. i, 3, 8.). Eam nimirum ob causam Romanus uxorem duxit, ut sibi ipsi liberos, rei publicae milites fortissimos

gigneret. Quis tandem locus erat amori sublimiori? Quis mirae illi animorum conjunctioni, qua demum gauderet aevum Christianum? Quam igitur castitatem integritatemque ex ipsis Romanorum conjugiis nequicquam petiveris, quis non videt, eam in amoribus levioribus, quales fuerint Horatii, minime esse petendam? Quae cum ita sint, tantum abest, ut Horatio libidines exprobrentur, ut Walckenaerius (Tom. i, lib. ii, §. xxii.) sit audiendus, qui Horatii admiretur modestiam et animum vera pulchri specie commotum. Non nisi *decentem Venerem* (Carm. i, 18, 6.) Horatius laudibus suis praedicat. Si quando peccaverit, in causa peccandi semper fuit amor nobilis ingenuusque (Carm. i, 27, 16—17.). Quod vero in Sat. i, 2. vitam meretriciam laudavit, *sententia dia Catonis* (vs. 32) texit et quasi velo quodam obtendit suam. Inprimis Horatius de matrimonio pie atque religiose sentiebat. Tanto igitur ferebatur odio in foeda, quibus sanctitas conjugiorum contaminabatur, adulteria, ut, quamvis tum propter multorum delicta etiam venia digna haberentur, ea tamen *maculosum nefas* (Carm. iv, 5, 22.) non dubitaret appellare.

At vero libidinibus, quibus tempus illud exarserat, Horatium quodam modo fuisse deditum, magis ex iis colligere possumus, quae de se ipse professus est (Sat. i, 2, 117 sqq. Epod. 11, 3—4.) quam ex amasiorum amicarumque indicibus, quos cum alii fecerunt, tum maxime Teuffelius. Neque vero in sententiam Lessingii concedimus, poetam, ut amatorum vulgo placeret, amores suos esse ementitum. Quod autem, si Vitale nostro ([16]) utamur auctore, versificatoribus nescio quibus solet accidere, §. VII.

"Att föremålen för deras flamma
Ej finn's på jorden,"

id nolite existimare poetis etiam licere antiquis. Hi enim nihil aliud studuerunt, quam ut ea, quae vera sentirent, versibus etiam vere exprimerent ([17]). Amorem quendam in libris fictum non poterant mente complecti: homines aliquos amabiles quaerebant. Quibus quidem demptis poesis amatoria neque scribi poterat nec cogitari. Quam ob rem statuimus, Horatium vitae suae imaginem scriptis expressisse et quae de amoribus suis narrat ad veros homines esse referenda.

([16]) Vid. "Komiska Fantasier."

([17]) Ita *Hegelius* (Aesthetic. Ed. ii. Tom. iii. Pag. 469 extr.): Von der *romantischen* unterscheidet sich sehr die Lyrik der Römer. Denn statt sich bis zur Innigkeit partikulärer Stimmungen und Situationen zu vertiefen, arbeitet sie hingegen das Innere zur klarsten Explikation seiner individuellen Leidenschaft, Anschauung und Betrachtungen heraus.

Sed quaeritur, num nomina puerorum puellarumque, quos amaverit poeta, vera habeamus. Quam cum Teuffelius affirmaverit rem, ego vero negare malo. Persuadent enim nobis Veteres, Propertium itidem Hostiam suam Cynthiae nomine celebrasse. Quid de eclogis loquar Virgilii, qui, Tityri ipse indutus persona, omnia fictis egit nominibus? Praeterea ut firmissimum hoc afferri videtur, cur ficta nomina esse credamus, quod maximam partem non Latina sint, sed Graeca. Ea enim ratione poesis Graeca exemplo fuisse videtur Romanae, ut ex illa potissimum nomina, quae vocant poetica, sumpta sint. Neque aliter, saeculo praeterito, Chloridis vel Doridis nomine nostrates, suam quisque celebraturus amiculam, utebantur.

§. VIII. Itaque in lyrica Romanorum poesi nomina ficta adhiberi, et ipsi et antiquitati convenit. Quod autem in satira nullo modo fieri potest. Hanc igitur interpretandi rationem, ut supra monuimus, funditus ejiciamus ([18]). Quis enim est, qui, satiram legens, primum non eo delectetur, quod vera agnoscat et nomina et personas? Tolle illa: satiram sustuleris. Lyrica e contrario poesis non modo non excludit nominum fictionem, sed eam quodam modo postulare videtur.

([18]) Vide *Madvigii,* V. Cl. epimetrum, jam supra a nobis laudatum. Praeclare vero Gallicus ille satirarum scriptor: Horace, ait, ne se contente pas d'appeler les gens par leur nom; il a si peur qu'on ne les méconnoisse, qu'il a soin de rapporter jusqu' à leur surnom, jusqu' au métier qu'ils faisoient, jusqu' aux charges qu' ils avoient exercées. Voyez, par exemple, comme il parle d'Aufidius Luscus, préteur de Fundi:

> Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
> Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
> Praetextam et latum clavum etc.
>
> [Sat. i, 5, 34—36.]

Peut-on désigner un homme plus précisément? et les circonstances seules ne suffisoient-elles pas pour le faire reconnoître? — Que dirons-nous de Virgile, le sage, le discret Virgile, qui dans une églogue, où il n'est pas question de satire, tourne d'un seul vers deux poëtes de son temps en ridicule?

> Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi!
>
> [Ecl. iii, 90.]

dit un berger satirique dans cette églogue. Et qu'on ne me dise point que Bavius et Mævius en cet endroit sons de noms supposés, puisque ce seroit donner un trop cruel démenti au docte Servius, qui assure positivement le contraire. Vid. Oeuvres poét. de Boileau Despréaux. (Discours sur la satire.) — Maevium quidem vixisse, salva Servii auctoritate, ex Epod. 10. licet videri. Quod vero Horatius Aufidium appellavit praetorem, ironice est loquutus; quia Aufidius, praefectus Fundorum, nomen praetoris ultro sibi arrogaverat. Ita quoque L. Considius et Sext. Saltius, duumviri, praetores se appellari volebant. Vid. *Ciceronis* Orat. ii. de lege agr. 34, 92—93.

Quid est igitur, quod impediat, quominus una persona variis sub nominibus latet? Auctoribus vero ad hanc sententiam uti optimis possumus, et quidem GROTEFENDO, FUERSTENAVIO et TEUFFELIO, qui una mente ac voce consentiunt, Lalages, Glycerae et Cinarae nominibus unam tantum significari puellam. Quid ergo? Nonne aliis pluribus potuit appellari? Quam ob rem nihil est, quod singulas Horatii amicas enumeremus. Nostra non tam interest, puellas illas vixisse, quam easdem ab Horatio fuisse celebratas. Puellarum indices isti sunt *monumenta perennia,* qualia divinus scriptor carminis ultimi libri III sibi fieri neque voluerit umquam nec speraverit. Noster igitur, si conjectura aliquid assequi nobis licet, arbitratus est non aliter quam illi Epicurei Bulweriani sunt arbitrati: deos scilicet nihil morari se amare ([19]). Sed quae negotia dii boni suscipere noluerint, eorum non puduit commentatores. Eo stultitiae processit PALDAMUS, ut anum libidinosam, in quam Horatius (Epod. 8 et 12.) acerbissime invectus sit, ad numerum amicarum ejus ascripserit. Quin etiam de amicula eadem, quam quidam fictam esse opinantur, DUENTZERUS cum TEUFFELIO nuper est rixatus. Sed quid negotii est haec commentatorum portenta percensere? Redeamus igitur ad Horatium. §. IX.

Loci aliquot Horatiani probant, non tam poetae nostro, quam Ovidio, amorem, quem dicunt Graecum, displicuisse. Quamvis autem multa hac de re ab Horatio aliquanto liberius sint dicta (Sat. i, 2, 116—119. Epod. 11, 3—4), nequaquam manifesto crimine convincitur. Quod si quis in istam partem argumentari velit, *somnia nocturna* (Carm. iv, 1, 37) male interpretans, is mihi somniare videtur ipse. In amore etiam Platonico Horatius *auream mediocritatem* (Carm. ii, 10, 5) servavit. Juvenilem pulchritudinem admirari contentus (Carm. i, 4, 19—20. ii, 5, 20 sqq.) et amicorum studio incensus (Epod. 11, 24. Carm. iv, 1, 33 sqq. 10 totum) ab omnibus peccatis abstinuit. §. X.

Hoc autem loco leviter et quasi praeteriens amorem illum puerorum attingam, cujus tot tamque clari viri accusantur. Rarior quidem in Italia erat; quod reapse probat ipsa Romanorum lingua, nomine hujus amoris carens. Quam ob rem omnis

---

([19]) "What! think you the gods place their bliss
In playing the spy on a sinner?
In counting the girls that we kiss?" etc.
The last days of Pompeii, iv, 17.

quaestio ad Graecas revocanda est litteras, in quibus *παιδεραστία* et nomine et re exstat. Itaque illud Graecis erat insitum, pueros, ut ingenio quoque excellebant, ita feminis venustate et pulchritudine corporis longe praestare; idque cum multis aliis rebus, tum ex arte fingendi et poesi ipsa intelligi licet, quam maximis ingeniis praediti non ad celebrandam *παιδεραστίαν* adhibuissent, nisi haereret in eorum mentibus, amorem illum et humanissimum esse et sanctissimum. Nihil enim aliud in optimo quoque erat amor Graecus, quam mira illa animorum conjunctio, quae, ut nunc in conjugibus cerni licet, tum apud amicos maxime vigebat. Quam ob rem *παιδεραστίαν* summa religione coluerunt Veteres, ut in Convivio Plato, qui eam solam habuit dignam, quae *Ἀφροδίτη Οὐρανία* appellaretur ([20]). Quin etiam Grammatici, qui in Pindarum commentarios scripserunt, *Anacreontem* produnt, religione quadam commotum, non in deos, sed in pueros hymnos scripsisse: quos et deos suos appellare solitus erat. Hac una tandem re Horatium videbis graviter commoveri. Paratus est ad moriendum pro amicis (Carm. iv, 9, 51—52), spirantqve verba ejus ad Ligurinum (Carm. iv, 1, 33 sqq.) ardorem prope Sapphicum. Quam ob rem, si morum antiquorum habenda est ratio, Horatium uberiorem omnis antiquitatis interpretem quam Ovidium non dubito appellare. Ille enim, clarum inter Veteres, amorem puerorum attigit: hic autem, qui in puellis celebrandis totus versatur, poetis recentioribus quam antiquis similior est habendus. — Ex quo videri licet, illos

Mille puellarum, puerorum mille furores

(Sat. ii, 3, 325.)

non nisi in commentis Damasippi et paedagogorum recentiorum exstare. Certum quidem est, Horatium in utramque venerem fuisse proniorem; ab omni autem *furore* animo erat alienissimo.

§. XI. Sed intuenti nihi vitam Horatii, multo difficilior occurrit quaestio multoque obscurior, qualis in rebus publicis fuerit Noster, quam qualis in privatis ac domesticis. Sunt enim qui contendant, Horatium rem publicam apud Philippos prodidisse, ut se in familiaritatem Augusti insinuaret. Quam in pugna Philippensi fugam praecipue

---

([20]) Cfr. Platonis Symp. p. 181 B. *Ὁ μὲν οὖν τῆς πανδήμου Ἀφροδίτης ὡς ἀληθῶς πάνδημός ἐστι καὶ ἐξεργάζεται ὅ τι ἂν τύχῃ· καὶ οὗτός ἐστιν, ὃν οἱ φαῦλοι τῶν ἀνθρώπων ἐρῶσιν. Ἐρῶσι δὲ οἱ τοιοῦτοι οὐχ ἧττον γυναικῶν ἢ παίδων. — Ὁ δὲ τῆς οὐρανίας οὐ μετεχούσης θήλεος ἀλλ' ἄρρενος μόνον — καὶ ἔστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως.*

Boerneus (21), vir integerrimus et regio nomini longe infestissimus, in criminationem poetae duxit. Horatii, inquit, legens carmina, casum rei publicae dolui. Illum non puduit liberrime profiteri, se in pugna Philippensi, ubi libertas est oppressa, *parmulam non bene reliquisse* (22). Haec Boerneus. At ne constat quidem, Horatium re vera reliquisse parmulam. Nisi forte ea etiam facta esse dicemus, de quibus idem carmen (Carm. ii, 7) narrat, Mercurium scilicet densa nube involvisse Horatium et per medios hostes eripuisse. Haec igitur cum cernimus, possumusne dubitare, quin Horatius, quem in omni oratione festivum accepimus simulatorem, sinceris ad Pompejum suum verbis (l. c. 1—2, 5, 26—28) multa etiam voluerit ex intima *εἰρωνείᾳ* admiscere (23)? Scribit igitur Horatius ad amicum, qui de proelio Philippensi effugerat, festiveque, ut sua fert consuetudo, *falsa veris remiscet*. Haud honestius, inquit, me equidem gessi. Quin etiam, ut salutem in celeri fuga quaererem, parmulam parum honorifice reliqui. Me quidem Mercurius e medio belli periculo eripuit; te vero quis reddidit coelo Italo (vs. 3—4)? Quid in hac re inest proditionis? Justane igitur causa, cur Horatio tanta fieret injuria? Licet concurrant plebeji omnes philologi (sic enim ii, qui a familia optimorum interpretum dissident, appellandi videntur), e sana interpretatione numquam conficietur, ut Horatius fugerit ulla cum infamia. Illud enim, quod aptum esse dicimus consentaneumque personae (Latine appellamus *decorum*) in aliis semper rebus apud alias gentes cernimus positum. Neque Alcaeum in ignominiam vocavit Herodotus (Histor. v, 95), memoriae mandans, poetam eo tempore, quo Mitylenaei cum Atheniensibus pugnarent, victoriaque penes hostes esset, abjectis armis aufugisse. Quam tamen rem, deteriore saeculo et moribus veterum jam mutatis, ut parum fideliter ab Herodoto expositam, retulit Plutarchus in eo libro, qui *de malignitate Herodoti* inscribitur. Ego vero nec, hercle, dubito, quin Horatius fugae se mandaverit, id quod ex ipsius versibus haud difficile cognoscitur, nec ineptiis assentior Gallianii, cui Horatius ab ipsa fuga commendationem maximam habere videtur; sed illud ipsum parmula relicta aufugere honestius, me judice, erat,

---

(21) Vid. dissertationem Boerneanam, quae inscribitur: Bemerkungen über Sprache und Styl.

(22) Ridiculum fere est, quod *Jahnius* et *Weberus* sunt opinati: hunc scilicet locum (Od. ii, 7, 10) non ad Horatii unius personam, sed ad fortunam totius exercitus spectare.

(23) Nobiscum facit auctoritas *Lessingii*. Ita enim scripsit: "Die ganze siebende Ode ist nichts als ein Scherz." Vid. Rettungen des Horaz. Quem interpretandi modum etiam sequutus est *Monichius*.

quam, armis aut conditione positis aut victoria detractis, hostium in misericordiam confugere. Versu enim XII docemur, multos Horatii commilitones, qui ante pugnam Philippensem minacissimi fuerant, post exitum aciei turpiter prostratos a victore salutem petiisse ([24]). Quin etiam in occasu rei publicae et inter humilitatem omnium quasi lumen quoddam exstinctis ceteris elucet libera contumacia Horatii, qui in versu XI virtutem partium Brutianarum, quamvis fractam, non dubitavit laudare.

Juvenis certe, Bruto duce, militabat; id quod satis probat, quam regni fuerit impatiens, quanto patriae ac libertatis amore incensus. Sed rei bellicae imperitus et rudis (Epist. ii, 2, 47), fuga illa a Philippis facta militiam tandem detrectavit; quam ob causam lepide ait: *Me dimisere Philippi* (vs. 49).

Nec se ipsum militiam, nec populum Romanum libertatem pati posse, usu doctus intellexit. Vidit minacissimum quemque turpissime prostratum, virtutem fractam, nihil denique *lacertis Caesaris Augusti responsurum* (vs. 48). *Decisis* igitur *pennis* (vs. 50) status rei publicae et militia et res civiles ei *taedia sollicita* (Carm. i, 14, 17) visa sunt. Ex qua omnium rerum satietate velut resurgens ad *celeres iambos* (Carm. i, 16, 24) est aggressus.

Ubi vero ad ea tempora sit perventum, quibus nulla restituendae libertatis spes supersit, optimus quisque longe anteponit, ab uno sapiente regi rem publicam quam insana omnium dimicatione lacerari. Neque aliter Brutus Cassiusque censebant, cum mallent ipsi manum sibi inferre quam pro salute rei publicae diutius pugnare. Horatius longe optimum ratus, Octavianum esse regnantem, Antonio semper erat infestissimus. Numquam securus a bello civili, cives hortabatur, ut tanta fugerent pericula (Carm. i, 14. Epod. 7 et 16). Haec secum animo agitantem Horatium magnifice de pace et de Augusti dominatione et sensisse et loquutum esse, non est quod miremur (Carm. iv, 5 et 15. Epist. ii, 1).

Hi vero hisque similes loci ita fere solent legi explicarique, ut probent Horatium, non Augustum, sed tyrannum, non pacem, sed otium turpissimum laudasse. Huic errori, cum late serpere coeperit multorumque animos ita invaserit, ut, Teuffelio duce, Nostrum impudenter calumnientur, huic inquam errori obviam est eundum. Horum igitur calumniatorum scientiam fugerunt loci Horatiani (Carm. i, 2, 49—52. 12, 53—60. 35, 29—40. ii, 9, 18—24. 12, 10—12. iii, 3, 39—56. 5 totum),

---

([24]) Cujus explicationis auctores laudo *Acronem, Peerlkampium, Orellium.*

quibus vel res bellica laudatur vel Augustus admonetur, ut hostes populi Romani debellet. Mirum tamen, quantum hi loci imaginem ac personam germani et paene prisci Romani referant.

Res paullo altius repetenda videtur. Bello igitur Romani non solum a natura erant addicti, sed, quod gravius etiam est, ad bella gerenda haud sine divino quodam consilio nati susceptique erant. Haec enim provincia iis a deo data esse videtur, ut totum orbem terrarum in suam ditionem potestatemque redigerent. Quem vero populum in jus ditionemque Romani receperunt, eundem videbis inter gentes, ad quas lux historiae pertinuit, locum sibi fecisse. Exstat locus *Senecae* Philosophi (De consol. ad Helviam, vii) non multis sed gravibus verbis conspicuus: Ubicunque inquit, vicit Romanus, habitat. Ad quem ego addere audeo: Ubicunque habitavit Romanus, eodem historia immigrat.

Itaque gloriam immortalem divinus Caesar est consequutus, qui imperium usque ad Galliam et ad ultimos Britannos protulit. Quo facto prolatum est historiae, ut ita dicam, pomoerium.

Romanis nullos esse fines nec imperii nec bellorum docet illa fabula de Termino, qui, Livio et Dionysio Halicarnasseo testantibus, unus omnium deorum sacratis sibi finibus noluit evocari. Quam Veteres jam ita sunt interpretati:

Romanae spatium est urbis et orbis idem.

(*Ovidii* Fast. ii, 682.)

Quas *bellorum deos* Tacitus aquilas vocavit, easdem sine ulla dubitatione deos rei publicae ipsius appellarim. Tantam enim Romani operam rei militari dederunt, ut eos maxime venerati sint imperatores, qui maxime essent bellicosi, sive, ut cum Tacito iterum loquar, *virtute imperatoria* praestarent.

Eo tamen aut invidiae aut insolentiae Augustus processit, ut in testamento certos terminos statuerit, intra quos imperium esset coercendum ([25]). Quo facto non minus regnum quam ingenium Romanum finibus ac terminis circumscriptum est. Tum primum ignota antea vocabula *rationarii* ac *breviarii imperii* reperta sunt. (Cfr Suetonii Aug. 28 et 101.) Paene succenseas viro callidissimo, qui metiendo ratiocinandoque ausus est imperium infinitum terminare. Perverse igitur, ut existimamus,

---

([25]) Vid. *Taciti* Annal. i, 11. et *Dionem Cassium* lvi, 33. Apud *Julianum* in Caesaribus (p. 326. Ed. Spanhem.) haec ait Augustus: *Ὅρια δὲ διττὰ ὥσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδεδομένα, Ἴστρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἐθέμην.*

Gibbonius (History of the decline and fall of the Roman empire) Romanos vocavit felices eo, quod plerique Augusti successores essent debiles et ad bella suscipienda minime apti. Quo nihil fere rei publicae perniciosius. Contra ea Horatius metuens, ne virtus Romanorum pace debilitaretur, numquam Augustum, ut bella gereret, non admonebat. Quoties vel Augustum vel Drusum vel Tiberium, rebus bene gestis, triumphare vidit, toties ipsum videbis poetam laetitia exsultare. Exempla sunt Carm. iii, 5 et 14. iv, 4 et 14. In quibus epiniciis liberius quam blandius est loquutus; immo, Augusti laudes celebraturus (Carm. i, 12) non abstinuit a laude Catonis, qui *nobile* sibi *letum* (vs. 35) consciscere quam tyranno se dedere maluit. Quem quidem locum a Bentlejo conjicienti corruptum et ab aliis interpretibus vexatum esse vidimus. Nec mirum. Hi enim in animum induxerunt, ut ex omnibus verbis assentatorem agnoscerent.

At Augustum, inquiunt, deum saepe nominavit. Vos vero, tam inscite nugantes et mores veterum et poesin antiquam et clientum erga patronos studium ignoratis. Verius sane Shaftesburius judicavit, qui ob eam, quam Noster prae se fert, ingenuitatem, cum dignum habuit, qui poetarum Romanorum nobilissimus appellaretur ([26]). Tantum enim abfuit, ut potentiae Augusti decus atque libertatem suam gratificatus sit, ut imperator poetae mirifice sit blanditus. Operae pretium est videre, quibus verbis in epistolis ad Horatium Caesar Augustus sit usus. Exstant enim fragmenta epistolarum in vita Horatii, quam a *C. Suetonio* conscriptam esse perhibent. Scripsit igitur imperator ad poetam: Neque enim, si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque *ἀνθυπερφρονοῦμεν*. Et rursus: An vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse? — Vides modestiam hominis integerrimi, qui, cum maximas quasque res accipere potuisset, paucis parvisque contentus viveret. Quanto autem amore et modestia Maecenatem amicum sit prosequutus, ex innumerabilibus fere locis cerni potest ([27]). Neque ad suis rebus consulendum Maecenatis gratia umquam est usus. Nostro enim vero libertas et tranquillitas animi divitiis et honoribus fuerunt potiores. En habes personam viri, qui sapientiam voluptate, voluptates sapientia miscuit ac temperavit!

([26]) **The most gentlemanlike of the Roman poets.**
([27]) **Potissimum videas Carm. ii, 17. iv, 11, 18 sqq. Epod. 1, 5 sqq.**

Res postulare videtnr, ut philosophia, quam vocant, Horatiana exponatur. At vero quantus philosophus fuerit Horatius ne quaerendum quidem est. Nam philosophandi scientia Noster etiam inferior erat quam Cicero, quem ut philosophum perfectum haberem numquam a me impetrare potui. Horum enim uterque vitae quandam proposuit sapientiam, non quidem plane contemnendam, sed, quae magnum philosophiae nomen mereat, non satis dignam. Enim vero in scriptis utriusque invenies omnia in medio posita et ad sensum vulgarem popularemque accommodata; id quod neque in doctrinam severiorem, nec in philosophos absolutos cadere potest. Quod si quaedam Horatiana vides non multum a Cyrenaicis dissidere (Epist. i, 1, 18—19), caveas tamen, ne eum habeas Aristippi discipulum. Praeclare igitur de se poeta: §. XII.

Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.
(Epist. i, 1, 14—15.)

Ingenium Horatii, ut omnino Romanorum, a philosophia fuit alienum. Quo autem modo licet eum ad numerum philosophorum ascribi, qui cujuscunque generis sectas deriserit? Neque versus singuli, qui praesentiam deorum collaudant (Carm. i, 34. iii, 4, 25 sqq. 6, 5 sqq.), ad theologiam quandam Horatianam sunt referendi. At tamen nihil est adeo absurdum, quin ab interpretibus dormitantibus scribi possit. Hinc etiam profecti sunt libri de theologia Horatiana et de virtute Horatii homiletica ([28]).

([28]) Vid. *J. G. Bidermanni* Prolusio super theol. Hor. Freisburgi, 1760. *J. C. Stussii,* Spec. virtutis homileticae ex Horatio tradendae. Nordhusae, 1752. *Pescheckii* Homiletica Horatiana. Zittaviae, 1840.